

ARTICULUS II.

Utrum sit una dumtaxat
anima vel principium vitæ in omni vivente.Status
questionis

58. Controversia hæc speciatim agitanda erit suo loco de homine, ubi refutandus est vetus error a Günthero aliisque recentioribus instauratus, plures homini largiens animas. Placet tamen nunc eam generatim instituere ad complementum doctrinæ de unitate viventis organismi. Multitudo animarum intelligi potest bifariam, successive et simul: successive forent multæ animæ in organismo ita, ut altera perfectior succederet alteri imperfectiori, quo pacto multi Scholastici docent in humani corporis formatione prius inesse animam vegetalem et mox sensitivam, donec tandem rationalis advenit, recedente priori, quando jam materia sufficienter parata est ad illius receptionem. In hoc sensu tractanda erit alibi quæstio de animæ in homine unitate; nunc ergo sermo est de unitate vel multiplicitate simultanea. Verum iterum plures simul animæ in eodem vivente bifariam intelligi possent: primo ita ut in organismis, plures gradus vitæ habentibus, singulæ pro singulis gradibus essent animæ, v. g. in animalii altera pro operationibus sensitivis, altera pro vegetativis, sicut vitalistæ distinguunt principium vitæ vegetativæ ab anima, quæ altioris vitæ sit principium: in quo vitalistas discrepare ab animistis monuimus superius. Deinde plures animas posset aliquis fingere in eodem vivente pro variis functionibus ejusdem gradus vitæ, puta alteram pro nutritione, alteram pro generatione. Hinc illa systemata falsa extiterunt *duodynamismi*, *tridynamismi* et *polydynamismi*. Duodynamismum sectantur vitalistæ, principium vegetationis ab anima distinctum asserentes, et Güntheriani, spiritum in homine fingentes distinctum ab anima, ut suo loco exponemus. Tridynamismus tribuitur Platoni, qui tres animas homini largitus est, nutritivam in hepate, concupiscibilem in corde, cognoscitivam in cerebro residentem (1).

(1) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 76, art. 3.

Polydynamismum demum sectati sunt alii, qui numerum animarum auxerunt, in quibus potissimum recensendi sunt assertores *Archæi* (1), nam corpus vivum plurimis *archæis* instruxerunt, quorum unum foret principale, reliqua eidem subordinata.

59. PROPOSITIO. Una dumtaxat est in quovis vivente
anima vel principium vitæ.

Prob. 1.^o Summa unitas in varietate operationum et communis harum in finem conspiratio unum aliquod et commune omnium principium sibi vindicat. Atqui datur in omni vivente summa ejusmodi unitas et conspiratio in unum finem in magna operationum varietate. Ergo.

Una dumtaxat
est in quovis
vivente anima.

Major patet, quia multitudo non reducitur ad unitatem nisi per aliquid unum. Sane unitas et conspiratio multorum in unum aptam causam postulat; causa vero unitatis nequit esse nisi unitas. Minor etiam constat, quia omnes operationes in viventibus tendunt in bonum et perfectionem unius subjecti, vel in seipso per nutritionem, vel in sua specie per generationem.

Prob. 2.^o Nulla est necessitas multiplicandi animas in singulis viventibus. Ergo non datur nisi una. Prob. antec. In ipsis corporibus inorganicis potest eadem forma multiplicis virtutis et efficacitatis actum præbere. Et undenam peti potest repugnancia formæ, quæ nequeat esse nisi radix unius generis operationum? Ergo nihil vetat, quominus eadem anima possit non solum nutritionis, sed etiam generationis principium esse, nec solum vitæ omnis vegetativæ, sed etiam sensitivæ, atque adeo intellectivæ; tum quia hæ vitæ non opponuntur inter se, alias nec possent in eodem subjecto reperiri; tum quia forma perfectior potest eminentiori modo virtutem et perfectionem inferiorum formarum in se una collectam possidere. Itaque sufficit in brutis animantibus una anima sensitiva, quæ det utrumque actum, vegetativum et sensitivum, et in homine una anima rationalis, quæ insuper det illi esse intellectivum.

(1) Cfr. supra. num. 16, pag. 58.

Prob. 3.^o In uno eodemque individuo non possunt esse plures formæ substantiales. Atqui ostensum est in articulo præcedenti organismum viventium constituere unicum individuum. Ergo nequit informari pluribus animabus.

Prob. 4.^o In homine certum est non dari nisi unicum vitæ principium, prout suo loco speciatim probabitur. Ergo idem dicendum est a fortiori de viventibus inferioribus; tum quia major est in homine multitudo et varietas vitalium operationum, ac proinde major difficultas, ut omnes ab eodem principio procedant; tum quia si quid obstaret quominus ab eodem principio manarent diversi generis operationes, magis profecto deberet repugnare, ut anima sit principium vegetationis, quæ tantopere distat ab illius entitativa perfectione, quam ut anima bruti sensitiva sit ejusdem vegetationis principium, vel anima vegetativa nutritionis simul et augmentationis ac generationis.

Prob. 5.^o Effectus generationis in animali est novum animal. Ergo nisi velis causam superari ab effectu, principium generationis in animali debet esse anima sensitiva. Atqui generatio est operatio vegetativa ideoque procedit formaliter a principio vegetativo. Ergo necesse est dicere animam sensitivam esse in animali principium operationis vegetativæ, ideoque unam eandemque animam esse principium utriusque vitæ (1).

60. Objic. 1.^o Diversitas operationum arguit diversitatem naturæ ac principii. Atqui dantur operationes specificè diversæ in eodem vivente. Ergo etiam agnoscendæ sunt in illo plures animæ.

Resp. dist. Major. Diversitas operationum arguit diversitatem naturæ in diversis suppositis, ita ut supposita, quæ diversas eliciant specificè operationes, diversa quoque specificè gaudeant natura, *conc.* In eodem supposito, ita ut nullum suppositum elicere possit diversas specificè operationes, nisi diversis specificè actuetur formis, vel diversis constet naturis, *neg.* Et concessa Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.^o In plantis, et multo magis in animalibus, adest specifica varietas membrorum organorumque, major certe,

(1) Vide, si lubet, aliud argumentum ex *Physiologia* desumptum apud cl. P. Liberatore, *Composito umano*, cap. 4.^o, num. et pag 195 seqq. Roma 1862.

quam adest in multis aliis corporibus diversæ speciei. Atqui ejusmodi varietas explicari nequit per unicam animam. Ergo admittendæ sunt plures in eodem vivente animæ.

Resp. dist. Minor. Tanta varietas explicari nequit per unicam animam, quæ multiplicem habeat virtutem atque efficacitatem, *neg.*: quæ illam non habeat, *conc.*; et *neg.* conseq. Et hæc satis patent ex alibi explicatis.

Objic. 3.^o Si unica daretur anima in singulis viventibus, ea vel esset indivisibilis et extensive simplex, vel divisibilis. Atqui utrumque videtur repugnare. Nam si esset divisibilis, deberet partibus constare; id autem quomodo concipi potest? At si esset indivisibilis, deberet tota esse in toto corpore, nam totum debet vivificare. Atqui iterum intelligi non potest, quomodo entitas simplex et indivisibilis actuet extensum corpus. Ergo.

Resp. conc. Major. Et *neg.* Minor. quoad utramque partem; quemadmodum enim in sequenti articulo probandum erit, anima rationalis indivisibilis est; animæ vero plantarum et animalium imperfectiorum, quidquid sit de animabus perfectiorum animalium videntur esse divisibiles. Prima porro Minoris probatio inanis est: nam non major difficultas est in concipiendo animas imperfectiores divisibiles, quam in concipiendo formas substantiales inorganicorum corporum materiæ cõextensas et cum illa divisibiles, sicut eas concipiebat, et asserebat unanimis veterum Scholasticorum corona. Altera etiam probatio nihil evincit: quamvis enim imaginatione repræsentare nequeamus, quo pacto unum simplex et indivisibile possit actuare compositum et extensum, at ratio persuadet ita reapse debere esse in corpore saltem humano. Nam demonstratur animam hominis indivisibilem esse; demonstratur munus illius esse vitam toti corpori tribuere: unde necessario consequitur animam, quantumvis indivisibilem, debere totum corpus informare. Simili modo demonstrari solet Deum, simplicissimum ens esse, præsentemque omnibus prorsus rebus. Verum hæc suis locis magis enucleabuntur. Cæterum si anima una simplex et indivisibilis non posset actuare materiam extensam, essent ponendæ in corpore vivente tot animæ, quot sunt possibiles partes in materia: id quod, quis sanus credere, aut qua ratione

cohærere cum manifesta viventis unitate queat, equidem nescio.

Objic. 4.^o Nihil notius est, quam quod in homine adsit pugna inter appetitum sensibilem et rationalem. Atqui pugna ejusmodi nec esse nec intelligi potest, nisi saltem duplex principium vitæ admittatur, alterum, unde appetitus sensibilis, alterum, unde profluat rationalis. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Est pugna, quæ se teneat ex parte subjecti, quatenus uterque appetitus secundum suam physicam entitatem non *possit* esse in eodem subjecto, *neg.* Est pugna, quæ se tenet ex parte objectorum, quatenus quædam objecta cum non conveniant subjecto rationali, non *debent* appeti, unde oritur conflictus inter appetitum sensitivum, ad ea inclinantem, et rationem ac voluntatem, motus illius cohibentem, *conc.*

Contradist. Minor.: pugna, quæ se teneat ex parte subjecti, *conc.*: pugna, quæ se teneat ex parte objectorum, *neg.*, et *neg.* conseq. Nullum genus actuum est in appetitu sensitivo quod non sit in eodem subjecto, in quo sunt actus appetitus rationalis, ut constat ex testimonio conscientiæ: præterea nullum genus actuum est in appetitu sensitivo, quod non possit simul esse in eodem subjecto, libere approbante vel consentiente actus illos. Id vero manifeste probat actus illos non habere ullam repugnantiam physicam vel incompossibilitatem ex parte subjecti, ac proinde ab eadem anima tamquam a primo principio procedere. Immo vero ex hac ipsa appetituum pugna colligitur unitas animæ in homine. Certum enim est, cum conflictus ejusmodi accidit, posse rationem imperio cohibere actus inferioris appetitus; id autem non intelligitur, quomodo fieri posset, si anima, cujus est sensibilis appetitus, diversa esset ab anima, unde profluit ratio rationalisque appetitus. Aliæ difficultates, potissimum eæ, quæ hominem respiciunt, cum plurium aliarum quæstionum notitiam requirant, alibi commodius dissolventur (1).

(1) Vide interea, si placet, S. Thom., Qq. disp., quæst. de Anima art. 11.; 1 p., quæst. 76, art. 3.

ARTICULUS III.

Utrum omnis anima sit indivisibilis vel extensive simplex.

Controversia hæc, quoniam non potest eadem communi responsione resolvi respectu omnis animæ, amandari potuisset ad peculiare tractatus diversorum generum viventium; nihilominus cum aliunde pertineat ad complementum traditæ doctrinæ circa individuaalem organismi unitatem, in hoc potius loco agitanda esse nobis visa fuit.

§ I.—STATUS QUÆSTIONIS: VARIE SENTENTIÆ.

61. Quod terminorum intelligentiam attinet, indivisibile dicitur, quod caret partibus, in quas dividatur: quare quot modis contingit partes habere, tot modis aliquid dici potest divisibile: vel aliter, quot modis potest dici *totum*, tot modis potest dici et esse divisibile. Verum non est hic sermo de divisibilitate in partes metaphysicas, genus et differentiam, quæ certe considerari possunt in anima; nec de divisibilitate in partes potentiales seu virtutes ac potentias operativas, de his enim generatim egimus in præcedenti capite, et speciatim agemus disputantes de singulis viventium generibus; nec sermo est de partibus physicis essentialibus, materiæ et forma, nam cum anima non sit corpus, sed forma substantialis, ut jam probatum manet, nequit habere hujusmodi partes, sed est omnino essentialiter simplex. Sermo est ergo solummodo de divisibilitate in partes physicas integrantes vel quantitativas. Non autem quaeritur, nunc quomodo anima habeat ejusmodi partes integrantes, utrum formaliter ex sese, an vero illas formaliter accipiat a quantitate; hæc enim questio continetur sub generali quæstione respiciente formalem effectum quantitatis, quam agitavimus in *Cosmologia* (1). Solum ergo quaeritur, an omnis anima, saltem prout existens in corpore quanto, sit divisibilis in partes, sicut

Quid
indivisibile.

et quod simplex.

Status
quæstionis

(1) Vide *Cosmolog.*, num. 207, pag. 756 seqq.